



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1561. usque ad annum 1562

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118596

§. 81. Condæi Principis innocentia a Rege & Senatu vindicata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66624](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66624)

Sæcul. XVI
A. C. 1561.

§. LXXXI.

*Condæi Principis innocentia a Rege,
& Senatu vindicata.*

*Thuan. l. 27.
Mezeray
abreg. chron.
Tom. V.
p. 58.*

His ita peractis Galliarum Rex die quinta Februarii Aurelia discessit Fontem bellaqueum petiturus, quo mox Condæus Princeps, qui Faram ad Esiam concesserat, venire iussus est: is igitur veredariis equis ad Aulam contendit, ubi Regem, ac Reginam Matrem officiose salutans perhonorifice excipiebatur: altera vero die cum in secretiorem Senatum admitteretur, a Proceribus, qui aderant, unanimi suffragio pronuntiatum, quod abunde de ejus innocentia constaret: eapropter Condæus mox pristinum locum suæ dignitati debitum occupabat. Sub idem quoque tempus Rex publice declarabat, sibi de Condæi Principis innocentia certissimis testimoniis constare, & permitti eidem, ut apud Senatum Parisiensem, qui vulgo Parium curia vocatur, ampliorem suæ innocentiae approbationem prosequatur.

Hæc gesta fuere decima tertia Martii, paulo post autem Condæus Princeps Lutetiam rediit, ut præsentia sua hujus decreti promulgationem in Senatu urgeret: subortæ interea inter Regentem, ac Navarrum dissensiones aulam miscuere, cum ille se a Regente sperni dice-

diceret, ac Lotharingios, quos rebus suis infestos semper expertus sit sub Henrico II. & Francisco II. Regibus, sibi contumeliose præferri palam quereretur: insuper Navarrus Regii cubiculi claves, quæ antea Guisio Duci consignabantur, deinceps quotidie sibi tradi, importune a Rege petebat, ceterum harum clavium custodia propria est Regii Palatii Magistro, quo munere auctus fuerat Guisus, postquam Montmorentius Connestabilis hac dignitate fuit exutus, eo obtentu, quod ea cum Connestabilis officio consistere haud possit.

§. LXXXII.

Diffidia inter Reginam Matrem, & Navarræ Regem.

In eodem confessu Navarræ Rex hæc exposuit: „Omnes injurias mihi illatas hæctenus publicæ tranquillitati postposui, sed nihil aliud ea dissimulatione profeci, quam ut inimici eo audaciores redditi petulantia non ferenda mihi insultarent, & patientia mea adeo indigne abuterentur, ut jam minime mihi integrum sit, si Guisii Principes eundem dignitatis, ac gratiæ locum in aula retineant, in ea remanere: proinde firma mihi sententia stat, nisi illi ad officium revocentur, ac insuper omni vespere Regii

I 5.

cubi-

Sæcul. XV.
A. C. 1561.